

Beiheft

2

S 121

1287 (1286) Febr. 23 Varlar.

[61]

Der Edle Hermann von Lohn bekundet, daß Theodericus dictus Riddere die Güter Degeninch, Käpl. Lohn, an das Kloster Varlar verkauft hat, und überträgt sie dem Kloster.

Nos Hermannus nobilis de Lohn omnibus praesentia visuris et audituris notum esse cupimus, quod Theodericus dictus Riddere de consensu uxoris suae Rekence, Everhardi, Eilardi, Gerardi, Agnetis et Wendelmodis liberorum suorum et cohaeredum et Everhardi, fratris Theoderici predicti, mansum sive bona, quae dicuntur Degeninch, sita in parochia Lohn, cum lignis, agris, pas- cuis, pratis, rivis et omnibus eorum attinentiis et juribus sive hominibus ad dicta bona pertinentibus rationabiliter vendidit legitime resignando domino Joanni praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis pro XXX marciis et una marca Monasteriensis monetae, et quod predicta bona, [quae] idem Theodericus et uxor sua et eorum liberi praenominati et idem Everhardus, frater saepedicti Theoderici, a nobis tenuerunt jure feodali, resignaverunt ea et quotquot juris habebant in eis, in manus nostras coniunctis manibus totaliter ab his in perpetuum recedentes. Quo facto nos requisitis et datis hinc inde sententiis praefata bona cum omnibus eorum attinentiis, ut superius notatum est, et proprietatem saepedictorum bonorum, quae jure proprietario nos contingebant, de consensu Gertrudis uxor nostrae, Hermanni et Wicboldi liberorum nostrorum contulimus pro remedio animae nostre venerabilibus viris domino Joanni praeposito et conventui dictae ecclesiae Varlarensis et eorum successoribus iure proprietari perpetuo possidenda, sperantes nos eorum et successorum suorum beneficiis suffragari. In cuius testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Varlar anno Domini M^oCC^oLXXX sexto, dominica Invocavit, praesentibus et protestantibus domino Luberto decano et Henrico socio suo, sacerdotibus in Nienborg; domino Theoderico de Loyre, Henrico de Capele, Henrico Wether¹⁾ et Joanne de Cosseldt militibus; Henrico de Dippenbruke, Mattheo filio Erponis, Theoderico de Grollo, Hermanno de Brockhues, Joanne de Heck, Bertoldo de Wechephusen, Joanne Fleminch, Wescelo Vriedagh, Arnolodo Schoke, Alberto Unghop et Wilhelmo de Holte famulis.

Kopie im Varlarey Kopiar S. 53. — Bergl. die folgende Urkunde.